Kopia. Statuty Księstwa Mazowieckiego
według Tek Naruszewicza t. 10
zgodne z tekstem ogłoszonym w J. W. Bandtkiego
Jus Polonicum, Warszawa 1831.

1. -

1401. [1407, 4. VII, Nowemiasto]

Statuta in Nowe Miasto anno Domini millesimo quadringentesimo primo infra octavas Visitacionis gloriosissime virginis Marie.

Nos Iohannes Dei gracia Senior dux Masovie etc. cum nostris nobilibus tunc nobiscum in terminis generalibus assidentibus, statuimus, declaramus et decernimus:

(§ 1). Cmethones iuvamen et alia iura solvere tenentur.

Quod cum quis cmetho de villa cuiuscumque terrigene non exhibito iure et ordine in terra statuto tento, habito et servato domino suo, a quo recessit, in alterius terrigene villam, incolatum in eadem accepturus, se transtulerit, idemque dominus sive terrigena, ad quem se transtulit, ipsum cmethonem aliqua summa pecunie sive aliquo iuvamine supportaverit; quiquidem cmetho per primum dominum suum, ipsum locum loco sui locantem, simili vel maiori iuvamine sive minori fuerat supportatus, talis dominus, a quo recessit postquam secundum morem et consuetudinem terre duobus iuratis protestatus fuerit et docuerit de non exhibito iure et iuvamine, idem dominus sive terrigena, ad quem predictus cmetho fugierit sive libere transierit, ad solvendum ius et iuvamen, ut predicitur, iuxta confessionem iuratorum principali domino predictum cmethonem compellat et demum sua iura de residuitatibus, si quas talis cmetho habuerit, exigat et repetat.

/ (§ 2). De acceptacione incolarum.

Item anno, die et loco ac testibus, quibus supra, statuimus, decernimus et deliberauimus, quociescumque et quandocumque extunc aliquis cmetho cum aliquo terrigena condictauerit, quod apud ipsum mansum aut medium mansum siue minus possessurus, se transferre debuerit, tali terrigena duobus scabinis proprijs, si eos habuerit, et si non, tunc alienis de loco propinquiori, quos adducere potuerit, acceptantem protestetur. Qui cmetho si postea mentem mutauerit et ad bona acceptata se non transtulerit, tunc tali terrigena prefatam adeptacionem dicti cmethonis eisdem iuratis iuxta exigenciam rei protestatur. Qua protestacione facta, iuxta quantitatem ipse cmetho bonorum acceptorum, videlicet si mansum acceptauit, sexagenam, si medium mansum, tunc mediam sexagenam eidem domino siue terrigene persoluat, vel alias iuxta quantitatem bonorum acceptorum. Et hoc si ipsum tali acceptacione, vt premittitur, deluserit alias omylilby, occasione qualibet proculmota; si autem eiusdem testificacio realis non affuerit, tunc cmetho ab acceptacione et solucione huiusmodi penitus absoluatur.

Teka Naruszewicza 10 N. 29.

1401. [1407, 4.VII, Nowemiasto].

Alia statuta in Nowe miasto anno Domini millesimo quadringentesimo primo, infra octauas Visitacionis gloriosissime virginis Marie.

Nos Iohannes Dei gracia senior dux Masouie etc. cum nostris nobilibus tunc nobiscum in terminis generalibus assidentibus, statuimus, declaramus et decernimus:

(§ 1). Cmethones iuuamen et alia iura soluere tenentur.

Quod cum quis cmetho de villa cuiuscumque terrigene, non exhibito iure et ordine, in terra statuto, tento, habito et seruato domino suo, a quo recessit, in alterius terrigene villam, incolatum in eadem accepturus, se transtulerit, idemque dominus siue terrigena, ad quem se transtulit, ipsum cmethonem aliqua summa peccunie siue aliquo iuuamine supportauerit; quiquidem cmetho per primum dominum suum siue cmethonem antecessorem suum, ipsum locum loco sui locantem, simili vel maiori iuuamine siue minori fuerat supportatus, talis dominus, a quo recessit, postquam secundum morem et consuetudinem terre duobus iuratis protestatus fuerit et docuerit de non exhibito iure et iuuamine, idem dominus siue terrigena, ad quem predictus cmetho fugerit siue libere transierit, ad soluendum ius et iuuamen, vt predicitur, iuxta confessionem iuratorum principali domino predictum cmethonem compellat, et demum sua iura de residuitatibus, si quas talis cmetho habuerit, exigat et repetat.

(§ 2). De acceptacione incolarum.

Item anno, die et loco ac testibus, quibus supra, statuimus, decernimus et deliberauimus, quocienscumque et quandocumque extunc aliquis cmetho cum aliquo terrigena condictauerit,

/.

quod apud ipsum mansum aut medium mansum siue minus pos„ sessurus, se transferre debuerit, talis terrigena duobus scabinis pro„ prijs, si eos habuerit, et si non, tunc alienis de loco propinquiori, quos adducere potuerit, acceptantem protestetur. Qui cmetho si pos„ tea mentem mutauerit et ad bona acceptata se non transtulerit, tunc talis terrigena prefatam adoptacionem dicti cmethonis eisdem iuratis iuxta exigenciam rei protestatur. Qua protesta„ cione facta iuxta quantitatem ipse cmetho bonorum accepto„ rum, videlicet si mansum acceptauit, sexagenam, si medium mansum, tunc mediam sexagenam eidem domino suo terri„ gene persoluat, vel alias iuxta quantitatem bonorum accep„ torum. Et hoc si ipsum tali acceptacione, vt premittitur, de„ luserit alias omylilby, occasione qualibet proculmota; si au„ tem eiusdem testificacio realis non affuerit, tunc cmetho ab acceptacione et solucione huiusmodi absoluatur.

Texta Naruszewicza 10 X. 29.

Statuta dominorum ducum Masovie.

Anno Domini 1426, dominica ante festum sancti Dominici confessoris gloriosi in Zakroczim.

Nos Iohannes Dei gracia Senior dux Masouie etc. Semouitus, Troidenus et Wladislaus eadem gracia duces Masouie cum baronibus, consiliarijs nostris, parte ab vtraque conuencione celebrata, statuimus, laudamus solempniter et ordinamus articulos infra- scriptos ad vtriusque partis vtilitatem.

(§ 1). Vector si theloneum pertransierit aut aliquod scelus perpetrauerit, bona propria amit- tet et non mercancias.

Item primo laudamus, statuimus et pronuncia- mus, quod quociescumque et quomodocumque vecto- res, quicumque aliquas res, mercancias siue bona cuiuscumque generis, speciei, ponderis vel valoris per mercatores siue per institores vel alios quoscumque homines appositas seu apposita, siue tales mercato- res sint ducatus Masovie indigene seu extranei, ex vectigali per partes ducatuum predictorum deduxerint, et talis vector si theloneum non soluerit aut clandesti- ne pertransierit, aut aliquod scelus siue nefas com- miserit, extunc solum bona ipsius vectoris, que pro- tunc secum ibidem habuerit, ad illum dominium,

: in cuius ducatu hec perpetrauerit, perdet et amittet, mercibus et rebus alijs, generaliter quibuscumque bonis, sibi sic, vt preferter, ad vehendum appositis, semper saluis, que eidem mercatori non debent perdi et amitti.

(§ 2). <u>Indigene vtriusque ducatus non debent cittari aut arestari in via, nisi vbi resident, excepta violencia recenti.</u>

Item statuimus, laudamus et pronunciamus, quod de cetero quilibet subditus ducatuum predictorum ex vtraque parte, cuiuscumque status, gradus et condicionis fuerit, Christianus, Iudeus pro quibuscumque causis, tam magnis, quam paruis, ad aliam partem ducatus non debet cittari, vel in via arestari vel iudicari, nisi in parte illius ducatus, vbi talis residet capitali mansione, exceptis dumtaxat violencia recenti et flagranti, intra quam si quis in continenti deprehensus aut captus fuerit, pro ea ius pati debebit inibi, vbi huiusmodi violenciam perpetrauerit. Et eciam in causis granicierum quilibet in illius dominio et ducatu, vbi tales granicies fuerint et non alibi cittari debeat et iudicari. Verum tamen si quis nobilium in vtraque parte ducatus bona habens hereditaria, et de hereditate sua, in qua personaliter non residet, alicui fecerit violenciam, extunc talis in illo ducatu ~~et~~ respondeat et iudicetur, vbi eadem hereditas iacet, de qua hu-

iusmodi violenciam perpetrauit.

(§ 3). Cmetho aut oppidanus et quilibet incola fugiens in alium ducatum, restituatur.

Item si aliquis cmetho aut oppidanus et quilibet incola seu subditus de vna parte ducatus in aliam clandestine fugerit vel qualitercumque recesserit, iuribus iuxta consuetudinem terre non solutis nec satisfaciens domino suo, a quo recessit siue fugit, talis incola siue oppidanus seu cmetho absque omni iudicio et iure cum omnibus rebus suis domino suo, a quo recessit, debet restitui iuxta antiquam consuetudinem terre, dum per scabinos illius domini, a quo fugit, de huiusmodi satisfaccione et fuga fuerit protestatum siue probatum.

(§ 4). Molendinator annualis debet restitui aut tres marce pro eodem solui.

Item si aliquis molendinator annualis wlgo roczny de aliqua parte ducatus in aliam a domino suo de molendino fugerit, talis dominus, apud quem repertus fuerit, per iuratos illius domini, a quo fugit, monitus wlgo obeslany, tenetur eum restituere aut tres marcas soluere vsuales; si autem eum non restituerit, penam quinquagenalem luet et nihilominus domino illo tres marcas soluet, a quo molendinator fugit, et molendinatorem pro se reseruabit.

(§ 5). Molendinator debet restitui.

Item si molendinator hereditarius siue perpetuus

de vna parte in aliam partem ducatus fugerit, extunc ille dominus, a quo fugit, illi domino, ad quem venit, proprijs iuratis debet intimare wlgo obeslac, vt sibi eum restituat sine omni excepcione et euasione; si vero non restituerit eundem, extunc tres marcas vsuales illi domino, a quo fugit, persoluat, contradiccione qualibet procul mota, et vtique eundem molendinatorem restituere tenebitur.

(§ 6). Thelonea in vtroque ducatu a proprijs non exigantur.

Item quandocumque et quociescumque terrigena aliquis vel oppidanus siue indigena et subditus ducatuum Masouie de vtraque parte ducatus de quibuscumque locis per flumen quodcumque cum quibuscumque rebus, mercibus cuiuscumque generis vel speciei existant, in roboribus siue truncis wlgo na dlodzince appositis et oneratis, vel infra defluxerit, talis defluens per terras vtriusque partis ducatus a quolibet amplestro wlgo od paczyny in solitis et consuetis theloneis tantummodo duodecem grossos Pragenses et tribuno grossum vnum soluat. Si vero ille, qui theloneum exigit et recipit pro tempore, non crediderit, quod huiusmodi bona sunt propria illius deducentis seu defluitantis, talis proprio iuramento se absoluat et liber pertransibit.

(§ 7). Ciues Plocenses a roboribus nil soluent a theloneo.

Si aliqŭi ciŭes et incole ciŭitatis Plocensis robora pro constrŭendis edificijs in eadem ciŭitate per flŭmina in dŭcatŭ domini dŭcis Iohannis transfretari et dedŭcere pro-cŭraŭerit (!), talis ab hŭiŭsmodi roboribŭs nŭlla thelonea aqŭatica in locis theloneorŭm solitis solŭere debent; si aŭtem ille, qŭi theloneŭm exigit, non crediderit, qŭod ista robora in Plocza pro edificijs dŭxerit, extŭnc dedŭ-cens talia robora iŭrabit, qŭod sŭa propria sŭnt robora pro edificijs in Ploczka constrŭendis, et libere pertrans-ibit cŭm eisdem; vltra tamen Ploczka non debebit cŭm eisdem roboribŭs flŭitare.

(§ 8). De hominibŭs vicijs denigratis, in dŭcatŭm aliŭm fŭgientibŭs.

Item qŭia incole siŭe cmethones seŭ sŭbditi vtriŭsqŭe ad alteram parciŭm aliqŭibŭs vicijs siŭe excessibŭs de-nigrati wlgo przewiniwszy się, ac iŭribŭs terrestribŭs, censibŭs, solŭcionibŭs, sŭbsidijs dominis ipsorŭm non solŭtis, a qŭibŭs dŭdŭm ante constitŭcionem presentis laŭ-di, per nos facti, temporibŭs iam preteritis recesserŭnt, de qŭibŭs nos tantŭm ordinaŭimŭs, qŭod tales nŭllam habeant secŭritatem intrandi in illam partem dŭcatŭs, de qŭa fŭgerŭnt, nisi priŭs dominis sŭis, a qŭibŭs fŭ-gerŭnt, satisfaciant pro omnibŭs iŭribŭs et debitis.

(§ 9). De gadijs, dŭm incola de vno dŭcatŭ in alio damna facit.

Item qŭandocŭmqŭe et qŭociescŭmqŭe aliqŭis terrigena et sŭbditŭs de vna parte dŭcatŭs in alia

parte ducatus, in alio gaio suo, per preconem inhibito, aliquem hominem damna facientem siue ligna aut arbores scindentem deprehenderit aut arrestauerit, extunc talis illi, cuius gaium recedit (s) a quolibet equo sex grossos, et a duobus bobus et a securi, qui absque peccoribus wlgo *prze przazaia* repertus fuerit, tres grossos soluere tenetur, cessante qualibet contradiccione; si vero in sylua, merica aut borra communibus ipsum arrestauerit et reperierit taliter ligna siue robora excidentem et damna facientem, extunc talis damna faciens a duobus equis sex grossos, a duobus bobus tres, et a securi vnum grossum soluet et pagabit.

(§ 10). De peccoribus in frumentis aut pratis in alio ducatu recipiendis.

Item si aliquis incola, oppidanus, siue villanus, subditus vtriusque partis ducatus, in bonis suis, videlicet frumentis, pratis aut in hereditate inhibita alicuius hominis peccora siue pecudes inuenerit siue arestauerit, debet ea impellere ad forestam suam, et ille, cuius fuerint peccora siue pecudes, a quolibet equo vnum grossum et a quolibet boue et vacca, wlgo *od skorziaczia* medium grossum, a quatuor ouibus vnum grossum, similiter a quatuor capris, a quatuor scrophis, a quatuor aucis vnum grossum soluet et pagabit. Si vero ille, cuius peccora alias *bydlo* impulsa fuerint, et huiusmodi peccora sua eximere neglexerit, extunc ille, qui ea impulerit, racione suorum damnorum ea

serůare debet, videlicet ab hora ad horam, wlgo od godziny do godziny, et postea ista peccora ad prediům důcale illiůs důcis, in cůiůs důcatů illa he- reditas fůerit, in qůa predicta peccora reperta fůe- rint, depellat et officiali důcali ea representet. Et talis officialis ab illis peccoribůs tantům excipiet, qůantům et ille, cůi est damnům factům.

(§ 11). Dům capitaneůs aůt procůrator inco- lam alteriůs důcatůs detinůerit.

Item si aliqůis capitaneůs, procůrator vel vicesgerens aůt officialis qůicůmqůe in parte vtra- qůe důcatůům predictorům existens, aliqůem incolam cůiůscůmqůe condicionis alteriůs důcatůs racione qůorůmcůmqůe důcatůům excessůům detinůerit, ar- restaůerit et captiůaůerit, talis capitaneůs aůt pro- cůrator vel qůiůis officialis omnia et singůla bona sůa debet dare ad caůcionem fideiůssoriam; (si vero ad caůcionem fideiůssoriam) hůiůsmodi bona non dederit, tůnc talis capitaneůs, procůrator aůt offi- cialis racione hůiůsmodi inobediencie vnam sexage- nam grossorům pene lůet, cůiůs sexagene medieta- tem domino důci et aliam medietatem illi homini, ců- iůs bona non dedit ad caůcionem fideiůssoriam, solůet et pagabit. Et si aliqůod dampnům habůe- rit homo ille, cůiůs bona ad fideiůssoriam non sůnt data, talis sůper damno sůo iůrabit et capitaneůs siůe procůrator sibi solůere damnům obligatůr.

./. (§ 12). Foralia alias targowe solum a pisci-bus et carnibus recipi debent.

Item statuimus et ordinamus, quod de cetero dominus Iohannes dux predictus in ciuitati-bus et opidis in ducatu suo existentibus, et sui offi-ciales quicumque ab hominibus quibuscumque du-cum predictorum, filiastrorum suorum, fora ciuita-tum suarum visitantibus, a quibuscumque rebus, mercancijs, cuiuscumque generis vel speciei aut va-loris existant, foralia dicta targowe recipere non debebunt, carnibus et piscibus dumtaxat exceptis, a quibus iuxta consuetudinem antiquam predicta foralia tolli debent. Et eodem modo domini duces filiastri sui: Semouitus, Kazimirus, Troidenus et Wladi-slaus, ipsorumque officiales ab hominibus quibus-cumque de ducatu domini ducis Iohannis foralia recipere non debebunt, carnibus et piscibus dumta-xat exceptis, a quibus similiter foralia recipient et le-uabunt.

(§ 13). Dum equus, bos, vacca a fure in alio ducatu defenditur.

Item si aliquis nobilis terrigena vel quiuis incola seu subditus ducatuum predictorum partis vtriusque equum vel bouem siue vaccam furtiue ablatas, a fure defensauerit aut repercusserit, extunc talis, cuius equus fuerit, a quolibet equo duodecim grossos, et a quolibet boue vel vacca sex grossos refer-

cucienti et defendenti soluet et pagabit.

~~(§ 14). Item quandocumque aliquis cmetho siue incola alterius partis ducatus in aliam partem duca-tus~~

(§ 14). De cmethone tempore congruo omnibus iuribus exolutis recedente.

Item quandocumque aliquis cmetho siue incola alterius partis ducatus in aliam partem ducatus a domino suo tempore deputato recesserit, omnibus iuribus primitus illi domino, a quo recessit, exolutis, extunc talis cmetho cum omnibus bonis suis, frumentis trituratis et non trituratis et aliis quibuscumque rebus et bonis, tanquam specifice expressis, libere transibit, quo sibi placet, quouis cessante impedimento.

(§ 15). De equis pecoribusque vagabundis.

Item si aliquis homo vel incola siue subditus vtriusque partis ducatus in alteram partem ducatus equum aut bouem vel vaccam vagabundam inuenerit, et eam a fure non repercusserit, extunc in tali equo vagabundo invento illi, qui inuenit, sex grossos, et a boue vel vacca tres grossos ille, cuius fuerint, soluet et pagabit.

(§ 16). De homine cum penis fugiente in alium ducatum.

Item si aliquis nobilis vel terrigena aut officialis ducatuum predictorum de vna parte in aliam partem cum penis, in quibus condemnatus fu-

erit, effūgerit, et per iūdiciūm, cūi de hoc constabit illiūs partis dūcatūs, vbi in penis condemnatūs fūerat, approbatūs fūerit, extūnc per dūcem illiūs dūcatūs, ad qūem fūgit, ad solūendūm hūiūsmodi penas debet compelli, aūt ipsūm restitūere teneatūr illi domino, a qūo fūgit, viceūersa.

1408. [illegible]

Priuilegium ducis Boleslai omnibus terris Mazouie cum prerogatiuis et libertatibus concessum, anno Domini M. CCCC. VIII.

In nomine Domini amen. Ad memoriam Domini sempiternam. Ne error obliuionis gestis sub tempore versantibus pariat in posterum detrimenta, alta regum et principum consilia salubriter decreuerunt ea litterarum et testium annotacione perhennari. Proinde nos Boleslaus Dei gracia dux Mazouie terrarum, necnon Warschouiensis, Wischegrodiensis, Zacrocimensis, Czechanouiensis, Cernensis dominus et heres etc. Significamus tenore presencium, tam presentibus quam futuris, harum noticiam habituris, quibus expedit, generaliter uniuersis, quod seruiciorum merita, quibus nobis et predecessoribus nostris omnes et singuli dignitarij, nobiles, milites, terrigene, ciues, opidani ac villani et communitates terrarum ac districtuum ducatus nostri Mazouie, nobis sincere dilecti, multipliciter complacuerunt et in posterum complacendi se exhibuerunt promiores, volentes dignis premiis compensare, ipsosque dominos dignitarios, nobiles, milites, terrigenas, ciues, opidanos, villanos seu cmethones tam spiritualium quam secularium dominorum ac totam communitatem terrarum predictarum uniuersaliter uniuersos et singulariter singulos et eorum posteritates iuribus infrascriptis illustrare, ipsis iura, libertates et immunitates articulatim infrascripta dedimus, damus, donamus et largimus graciose, perpetue et in euum.

(§ 1). De pena iednane et vadio.

Inprimis namque damus ipsis omnibus nostris fideli-

./. bus et eorum posteritatibus plenam et omnimodam potestatem in omnibus eorum causis magnis et parvis inter eos et in iure terrestri motis et movendis, eciam circa crucem, amicabiliter componendi et concordandi. Qua concordia facta ipse partes aut una earum, quam arbitri condemnaverint, penas integras iedname iudicio sub penis in terra currentibus et consuetis solvent et pagabunt. Pena vero vallata seu vadio super qui- buscumque causis ac per quascumque personas quomodolibet interposita, omnino excepta, pro qua ipse partes litigantes non debebunt nec poterint concordari, et hoc propter subdi- torum nostrorum animadversionem et castigacionem.

(§ 2). De casu in iuramentis.

Preterea alias pollicze in iuramentis fieri consuetum, ut amplius non fiat, abolemus, sed tam actor quam reus ad iurandum iudicialiter senenciatus, et eciam testes quilibet eorum seorsum post preconem prestabunt iuramenta.

(§ 3). De pena quinquagenali.

Insuper damus omnibus personis spiritualibus et secu- laribus, civibus, cmethonibus, oppidanis et villanis, ceteris- que hominibus, cuiuscumque status et condicionis exi- stant, quod penam quinquagenalem, que Kmieczia ~~vlgari-~~ ~~ter dicitur~~ wlgo dicitur, ab ipsis eorumque successoribus seu posteritatibus et sequacibus in perpetuum abolemus.

(§ 4). Absolucio cmethonum a descripcionali.

Ceterum omnes et singuli cmethones terre et districtus pre- dicti descripciones seu quadrantes circa exaccionem et solucionem censuum nostrorum ducalium sancti Martini notariis et exactori- bus censuum nostrorum exolvi consuetos, amplius non sol- vent, quoniam eos omnes et eorum posteritates a solucione eo- rundem descripcionalium sive quadrantium absolvimus et li-

bertamus perpetue et in evum.

(§ 5). Merces notarij ab inscripcione et querelis.

Eciam damus ipsis nostris fidelibus, quod a proposicione medium et a responsione medium grossum ambe partes, videlicet actor et reus notario iudicij soluent et per officiales iudicio presidentes cogi debent ad soluendum. Cum vero aliquis ex ipsis nostris fidelibus seorsum aliquam causam sibi in librum inscribere voluerit, extunc ab inscripcione medium grossum et a descripcione quadrantem notario iudicij soluet et pagabit. Eciam a querendis inscripcionibus seu quibusuis notis plurium annorum per notarium ipsi nostri fideles non plus nisi vnum grossum, ab vno vero anno nihil iuxta consuetudinem notario soluent et pagabunt.

(§ 6). Quid soluendum notario sit et preconi a citacione.

Damus eciam ipsis nostris fidelibus eorumque posteritatibus, quod de cetero litteris et citacionibus nostris cittentur. A littera vero cittatoria medium notario et a cittacione preconi medium grossum soluere tenebuntur.

(§ 7). De cmethonibus censum soluere non curantibus.

Preterea conferimus ipsis nostris fidelibus, quod propter vnum aut duo cmethones censum nostrum ducalem sancti Martini soluere non curantes, tota villa per impigneracionem a precone non debet dannificari, sed dominus aut aduocatus seu cmethones illius ville soli bona illorum cmethonum censum soluere non curancium, si ea habeant, si autem non habeant, extunc personas eorum recipiendo, cum toto censu ville illius notario seu exactori censuum nostrorum statuere et presentare tenebuntur. Dum vero ipsi inaduertentes, sic presentati et statuti fuerint, notarius aut exactor noster censuum ab alijs hominibus illius ville exipere tenebitur et debebit (1).

(§ 8). Qualis preco esse debeat.

Item damus ipsis nostris fidelibus, quod preco non sit de cetero nobilis, sed cmetho seu persona plebea, et sit specialis in qualibet terra ac eciam in oppidis cuiuslibet terre seu districtus, vbi et in quibus iudicia consueuerunt fieri.

Et vt premissa nostra donacio robur obtineat perpetue firmitatis, presentes nostras litteras seu hoc presens nostrum priuilegium scribi et appensione sigilli maioris mandauimus communiri. Actum et datum Warschauie feria sexta in vigilia sancti Vitti, anno Domini millesimo quadringentesimo octauo. Presentibus strenuis et nobilibus dominis: Iohanne de Wegrzynowo, palatino Mazouie, N. de Ostralonka Czernensi, Dobrogostio de Nowydwor Warschouiensi, Nicolao Warsch de Dobrzankowo Ciechanouiensi castellanis, Vincencio de Gizicze marsalco nostro, Laurencio de Schobiemie Czirnensi et Warsouiensi iudice, Martino de Thurowicze Czirnensi, Nyrotha de Kadzikowo Warschouiensi subiudicibus, Borutha vexillifero Drohicensi et Iohanne Milanowski aliisque nostris fidelibus fidedignis quam pluribus testibus circa premissa. Scriptum per manus Stephani Nicolai [1] de Mnichewo prepositi Warschouiensis canonici Plocensis ecclesiarum ac curie nostre cancellarii, qui presencia a nobis habuit in commissis.

Teka Naruszewicza 10 N. 112.

1) znaczy Szczepan Mikołajewicz

1408. [między 1440 a 1472, Warszawa – (1408, [illegible])]

In nomine Domini amen. Ad memoriam rei sempiternam. Ne error oblivionis gestis sub tempore versantibus pariat in posterum detrimenta, alta regum et principum consilia salubriter decreverunt, ea litterarum et testium annotacione perhennari. Proinde nos Boleslaus Dei gracia dux Mazouie terrarum, necnon Warschouiensis, Wischegrodiensis, Zacrocimensis, Ciechanouiensis, Cersensis dominus et heres etc. significamus tenore presencium, tam presentibus, quam futuris, harum noticiam habituris, quibus expedit, generaliter universis, quod serviciorum merita, quibus nobis et predecessoribus nostris omnes et singuli dignitarij, nobiles, milites, terrigene, cives, oppidani ac villani et communitates terrarum ac districtuum ducatus nostri Mazouie, sincere nobis dilecti, multipliciter complacuerunt et in posterum complacendi se exhibuerunt promiores, volentes dignis premijs compensare ipsosque dominos, dignitarios, nobiles, milites, terrigenas, cives, oppidanos, villanos seu cmethones tam spiritualium quam secularium dominorum ac totam communitatem terrarum predictarum universaliter universos et singulariter singulos et eorum posteritates iuribus infrascriptis illustrare, ipsis iura, libertates et immunitates articulatim infrascripta dedimus, damus, donamus et largimur graciose, perpetue et in evum.

(§ 1). De pena iednanie et vadio.

Inprimis namque damus ipsis omnibus nostris fidelibus et eorum posteritatibus plenam et omnimodam po-

testatem in omnibus eorum causis, magnis et parvis, inter eos et in Iure terrestri motis et movendis, eciam circa crucem ami-cabiliter componendi et concordandi; qua concordia facta ipse partes aut vna earum, quam arbitri condemnaverint, penas integras iednane iudicio sub penis in terra currentibus et consuetis solvent et pagabunt. Pena vero vallata seu vadij super quibuscumque causis ac per quascumque personas quomodo-libet interposita, omnino excepta, pro qua ipse partes liti-gantes non debebunt nec poterint concordari, et hoc propter subditorum nostrorum animadversionem et castigacionem.

(§ 2). De casu in iuramentis.

Preterea alias pothiczek in iuramentis fieri consuetum, vt amplius non fiat, abolemus, sed tam actor, quam reus ad iurandum iudicialiter sentenciatus, et eciam testes, qui-libet eorum seorsum post preconem prestabunt iuramenta.

(§ 3). De pena quinquagenali.

Insuper dominis omnibus personis spiritualibus et seculari-bus, civibus, Smethonibus, oppidanis et villanis, ceterisque hominibus cuiuscumque status et condicionis existant, quod penam quinquagenalem, que Smieczia wlgo dici-tur, ab ipsis eorumque successoribus seu posteritatibus et sequacibus in perpetuum abolemus.

(§ 4). Absolucio smethonum a descripcionali.

Ceterum omnes et singuli smethones terre et districtus pre-dicti descripciones seu quadrantes circa exaccionem et so-lucionem censuum nostrorum ducalium sancti Martini notarijs et exactoribus censuum nostrorum exsolvi consuetos, amplius non solvent, quoniam eos omnes et eorum poste-ritates a solucione eorundem descripcionalium sive qua-

drantur) absolvimus et libertamus perpetue et in evum.

(§ 5). Merces notarij ab inscripcione et qualis.

Eciam damus ipsis nostris fidelibus, quod a proposicione medium et a responsione medium grossum ambe partes, videlicet actor et reus notario iudicij soluent et per officiales iudicio presidentes cogi debent ad soluendum. Cum vero aliquis ex ipsis nostris fidelibus seorsum aliquam causam sibi in librum inscribere voluerit, extunc ab inscripcione medium grossum et a descripcione quadrantem notario iudicij soluet et pagabit. Eciam a querendis inscripcionibus seu quibusuis notis plurium annorum per notarium ipsi nostri fideles non plus, nisi unum grossum, ab uno vero anno nichil iuxta consuetudinem notario soluent et pagabunt.

(§ 6). Quid soluendum notario sit et ~~pre~~ preconi a cittacione.

Damus eciam ipsis nostris fidelibus eorumque posteritatibus, quod de cetero litteris et cittacionibus nostris cittentur. A littera vero cittatoria medium notario et a cittacione preconi medium grossum soluere tenebuntur.

(§ 7). De cmethonibus censum soluere non curantibus.

Preterea conferimus ipsis nostris fidelibus, quod propter unum aut duos cmethones censum nostrum ducalem sancti Martini soluere non curantibus, tota villa per impignoracionem a precone non debet dampnificari, sed dominus aut adulocatus seu cmethones illius ville soli bona illorum cmethonum, censum soluere non curancium, si ea habeant, si autem non habeant, extunc personas eorum recipiendo cum toto censu ville illius notario seu exactori censuum nostrorum statuere et presentare tenebuntur. Dum vero ipsi inaduertentes sic presentati et statuti fuerint, notarius aut

exactor noster censuum ab alijs hominibus illius ville eripere tenebitur et debebit.

(§ 8). Qualis preco esse debeat.

Item damus ipsis nostris fidelibus, quod preco non sit decetero nobilis, sed cmetho seu persona plebea, et sit speciali in qualibet terra ac eciam in oppidis cuiuslibet terre seu districtus, ubi et in quibus iudicia consueuerint fieri.

Et ut premissa nostra donacio robur obtineat perpetue firmitatis, presentes nostras litteras seu hoc presens nostrum priuilegium scribi et appensione sigilli maioris mandauimus communiri. Actum et datum Warschauie feria sexta in vigilia sancti Viti, anno Domini millesimo quadringentesimo octauo. Presentibus strenuis et nobilibus dominis: Iohanne de Wangrzinowo palatino Mazouie, N. de Ostralanka Czernensi, Dobrogostio de Nowydwor Warschauiensi, Nicolao Warsch de Dobrzankowo Ciechanouiensi castellanis, Vincencio de Gizicze marsalco nostro, Laurencio de Schobienie Czernensi et Warsouiensi iudice, Martino de Thurowicze Cirnensi, Nynoltha de Radzilowo Warschouiensi subiudicibus, Borutha vexillifero Drohicensi et Iohanne Milanowski alijsque nostris fidelibus fidedignis quam pluribus testibus circa premissa. Scriptum per manus Stephani Nicolai de Chnischewo prepositi Warschouiensis, canonici Plocensis ecclesiarum ac curie nostre cancellarij, qui presencia ~~na~~ a nobis habuit in commissis.

Teka Naruszewicza 10 N. 112

[1411, 4. XII. Czersk]

Articuli terrestres domini ducis Conradi anno Domini M. CCCC. XI.

Actum in Czersko feria quarta die sancte Barbare virginis iura infrascripta articulatim per serenissimum dominum ducem Conradum toti terre Cernensi dotata et donata.

(§ 1). Confirmacio iurium.

Inprimis dominus dux iura tam antiqua, quam noua, que domini dignitarij in suo robore cognoscerent sufficiencia et eadem remanerent, ac statuta et consuetudines antiquas, bonas et laudabiles, approbata et per antecessores sue serenitatis diu obseruatas et tentas, omnibus nobilibus terrigenisque, ciuibus, oppidanis et subditis terre Cirnensis ac eorum successoribus debet tenetur que seruare in perpetuum cum suis successoribus.

(§ 2). Priuilegia per ignem, furtum aut quemcumque alium modum amissa, innouari debent.

Quociescumque alicui ex subditis nostris terre priuilegia et munimenta per furtum, ignem, alineas (!) aut per aliquos modos infortuitos forent destructa aut annihilata, talia priuilegia aut litteras cum iuxta registra tam in cancellaria, quam eciam in libris terrestribus iudiciorum nostrorum omnino reperta et inuenta fuerint, et dummodo inuenirentur, extunc talis amissor huiusmodi litterarum integros testes super articulos in priuilegio contentis ammisso, debet producere et docere. Quo facto nos et nostri successores subditis nostris et ipsorum successoribus dare, innouare et extrade-

+re debemus graciose, licet hoc ex consuetudine antiqua per pre-
decessores nostros fuerit tentum et obseruatum.

(§ 3). De solucione a lecturis litterarum.

Item predictis nostris subditis et eorum successoribus da-
mus, quando et quociescumque aliqui subditi nostri in iu-
dicijs nostris et in omnibus iudicijs terrestribus tocius duca-
tus nostri priuilegia, litteras sub mediocri sigillo et iudi-
ciales produxerint, extunc cancellarius aut notarius terres-
tris a priuilegio sex et mediocri sigillo tres, et a iudiciali
vnum grossum in medijs et non plus a lectura ipsi subdi-
ti nostri et eorum successores dabunt, soluent et pagabunt.
Eo excepto, quod alicui ex subditis nostris aut eorum suc-
cessoribus priuilegia aut quascumque litteras coram no-
bis aut nostris successoribus producere mandaremus aut
nostri successores mandarent, extunc cancellarijs aut no-
tarijs a lectura huiusmodi priuilegiorum et litterarum
predicti subditi nostri et ipsorum successores nichil dare
tenebuntur preter hoc, quando aliquem ex subditis nos-
tris pro aliquo incusparemus et ad iudicium iuridice
concitaremus, talis iusta premissum modum superius de-
scriptum a lectura soluere tenebitur.

(§ 4). Citacio ad terminos ducales ante vnam septi-
manam ad citatum debet procedere.

Damus eciam subditis nostris et eorum successoribus,
quod quociescumque ipsi subditi nostri se mutuo cittare
procurauerint ad nostros terminos ducales, extunc cita-
cione recepta per preconem ante vnam septimanam se mu-
tuo cittabunt et non infra. Si vero infra septimanam se
cittauerint, extunc cittatus in illis terminis ducalibus non
respondebit, nisi in sequentibus, nulla pena sequente;

+

secus autem de terminis communibus, quia ad tales se-
cundum consuetudinem antiquam ante tercium diem se ci-
tabunt.

(§ 5). Salarium notariorum a cittacionibus.

Notarij vero cancellarie nostre a cittacionibus cum copijs earundem subditis nostris et eorum successoribus, etiam si cittacio in se tres cittaciones contineret, pro vno grosso scribere et extradere debent. Hoc eciam et de terrestribus notarijs nostris est intelligendum, quod more cancellarie cum copijs earundem citaciones pro medio grosso extradere debent. Eciam quocies contigerit, quod pro tribus causis siue cittacionibus in vna cittacione aut carta contentis, ipsi subditi nostri et successores eorum se mutuo concordauerint, extunc a tali concordia dictarum trium cittacionum, sic, vt est premissum, in vna cittacione contentarum, non plus, nisi vnam penam concordie alias iednane nobis et successoribus nostris ac honoratis soluere tenebuntur iuxta consuetudinem.

(§ 6). De mutantibus incolatum cum domestica mansione de vna ciuitate in aliam.

Damus insuper eisdem subditis nostris et eorum successoribus, quod quandocumque aliqui ciues aut oppidani nostrarum ciuitatum aut oppidorum siue nobilium de vna ciuitate siue oppido incolatum siue cum domestica mansione transferre et recedere voluerit, extunc venditis siue non venditis eorum domibus vel agris, recedendi absque quauis dificultate, impedimento et aresto liberam habebunt facultatem. Si vero capitanei aut aliquis ex officialibus nostris, seu aliquis nobilis ex subditis nostris, aliquem ex ciuibus aut oppidanis recedere volentem, impediret et arestaret, tres marcas vsuales penarum, me-

dietatem pro nobis et nostris successoribus, et illi nobili, ad quem vadit, aliam medietatem huiusmodi pene trium marcarum soluere tenebitur. Eo excepto, quod si talis oppidanus, qui recedit, pro aliqua culpa aut debito ante fideiussoriam fuerit per aliquem cittatus; extunc talis citatus ibidem parere Iuri et respondere tenebitur. Si vero post caucionem fideiussoriam fuerit citatus, extunc non ibi, sed apud illum, ad quem recedit, cuilibet de se querulanti respondere et parere tenebitur.

(§ 7). Ciuis aut oppidanus cmethonem percuciens siue wlnerans et e conuerso.

Concedimus eciam predictis nostris subditis et eorum successoribus, quod quociescumque euenerit, ut ciuis (aut) oppidanus aliquem cmethonem aut e contra cmetho ciuem et oppidanum percusserit, wlnerauerit, extunc tali modo percussus debet percussorem inculpare et coram iuratis scabinisue wlnera recencia iuxta statuta nostra monstrare et illum percussorem coniurare. Quo facto tam ciuis, quam oppidanus et villanus penam percussionis et wlnera, quibus interest, soluent et pagabunt, et hoc tam in nostris oppidis, quam nobilium obseruare volumus.

(§ 8). Quando cmetho caucionatur.

Statuimus insuper subditis nostris et eorum successoribus, quod quociescumque et quandocumque aliquis cmetho incolatum suum transferre voluerit, extunc talis cmeto debet caucionari; et si aliquis ex subditis nostris ausu temerario ad tres fideiussores talem cmethonem dimittere noluerit, extunc ille nobilis, ad quem cmetho vadit, cum dictis tribus fideiussoribus ad capitaneum vel procuratorem aut Officialem siue ad iudicium venire debet et hoc ipsum negocium reponere. Capitaneus vero vel procurator aut

/. ipsiůs officialis siue iudiciům preconem dare debent eidem nobili, qui precone recepto debet transire ad illům domi-nům, qui cmethonem ad caŭcionem dare noluit, ad reci-piendům ipsům cmethonem; preco vero eidem nobili debet mandare, ut dictům cmethonem caŭcionatům libere dimit-teret cům omnibůs bonis. Alias si facere contempserit, ex-tŭnc talis nobilis iůs terrestre, censům, sůbsidia et alia, quĕ iuri terrestri deseruiunt, perdet et amittet, et cům hoc triplicem penam quinquagenalem a dictis tribus fideiůs-soribůs, et triplicem piątnadziesma et tres marcas vsuales a precone prolabetůr, quarům medietatem pro capitaneo nostro et medietatem pro nobili, ad quem cmetho vadit, et nichilominůs illům cmethonem mittere debet.

(§ 9). Requisicio alias pytanie in iudicio solui non debet.

Item pytane a iudicibus et subiudicibus unmodo quocůmque in iudicio per nobiles et eorům cmethones solui non debet nec ab eisdem exigi.

(§ 10). Cmethones pro pena quinquagenali tan-tům quadraginta grossos soluent.

Item cmethones, quando citati fuerint ad iůs terrestre et contigeret ipsos penam quinquagenalem prolabi, ex-tunc pro tali pena quinquagenali non plůs, nisi qua-draginta grossos illis, quibůs interest, soluere tene-buntur.

Teka Naruszewicza 10 N. 13.

1411. [1471, 4. XII. Czersk]

Actum in Czersko feria quarta die sancte Barbare virginis iura infrascripta ~~astricta~~ articulatim per serenissimum dominum ducem Conradum toti terre Cernensi dotata et donata.

(§ 1). Confirmacio iurium.

Imprimis dominus dux iura tam antiqua, quam noua, que domini dignitarij in suo robore cognoscerent sufficiencia, et eadem remanerent, ac statuta et consuetudines antiquas, bonas et laudabiles, approbatas et per antecessores sue serenitatis diu obseruatas et tentas, omnibus nobilibus terrigenis, que, ciuibus, oppidanis et subditis terre Czernensis ac eorum successoribus debet teneturque seruare in perpetuum cum suis successoribus.

(§ 2). Priuilegia per ignem, furtum aut quemcumque alium modum amissa, innouari debent.

Quocienscumque alicui ex subditis nostre terre priuilegia et munimenta per furtum, ignem, alueas (!) aut per aliquos modos infortuitos forent destructa aut annihilata, talia priuilegia aut literas, cum iuxta regestra tam in cancellaria, quam eciam in libris terrestribus iudiciorum nostrorum omnino reperta et inuenta fuerint, et dummodo inuenirentur, extunc talis amissor huiusmodi literarum integros testes super articulis in priuilegio contentis amisso, debet producere et docere, quo facto nos et nostri successores subditis nostris et ipsorum successoribus dare, innouare et extradere debemus graciose, licet hoc ex consuetudine antiqua per predecessores nostros fuerit tentum et obseruatum.

·/· (§ 3). De solucione a lecturis litterarum.

Item predictis nostris subditis et eorum successoribus damus, quando et quociescumque aliqui subditi nostri in iudicijs nostris et in omnibus iudicijs terrestribus tocius ducatus nostri priuilegia, litteras sub mediocri sigillo et iudiciales produxerint, extunc cancellarius aut notarius terrestris[1] a priuilegio sex, a mediocri sigillo tres et a iudiciali vnum grossum in medijs et non plus a lectura ipsi subditi nostri et eorum successores dabunt, soluent et pagabunt: eo excepto, quod alicui ex subditis nostris aut eorum successoribus priuilegia aut quascumque litteras ~~exum~~ coram nobis aut nostris successoribus producere mandaremus aut nostri successores mandarent, extunc cancellarij aut notarij a lectura huiusmodi priuilegiorum et litterarum predicti subditi nostri et ipsorum successores nihil dare tenebuntur, preter hoc, quando aliquem ex subditis nostris pro aliquo inculpauerimus et ad iudicium iuridice concitaremus, talis iuxta premissum modum superius descriptum a lectura soluere tenebitur.

(§ 4). Citacio ad terminos ducales ante vnam septimanam ad citatum debet procedere.

Damus eciam subditis nostris et eorum successoribus, quod quociescumque ipsi subditi nostri se mutuo cittare procurauerint ad nostros terminos ducales, extunc citacione recepta per preconem ante vnam septimanam se mutuo cittabunt et non infra; si vero infra septimanam se cittauerint, extunc cittatus in illis terminis ducalibus non respondebit, nisi in sequentibus, nulla pena sequente. Secus autem de terminis communibus, quia ad tales secundum consuetudinem antiquam ante tercium diem se cittabunt.

(§ 5). Salarium notariorum a cittacionibus.

·/·

Notarij vero cancellarie nostre a cittacionibus cum copijs earum subditis nostris et eorum successoribus, eciam si cittacio in se tres citaciones contineret, pro vno grosso scribere et extradere debent. Hoc eciam et de terrestribus notarijs nostris est intelligendum, quod more cancellarie cum copijs earundem citaciones pro medio grosso extradere debent, Eciam quocies contigerit, quod pro tribus causis siue cittacionibus in vna citacione aut carta contentis ipsi subditi nostri et successores eorum se mutuo ~~suo~~ concordauerint, extunc a tali concordia dictarum trium cittacionum, sic vt est premissum, in vna cittacione contentarum, non plus, nisi vnam penam concordie alias iednane nobis et successoribus nostris ac honoratis soluere tenebuntur iuxta consuetudinem.

(§ 6). De mutantibus incolatum cum domestica mansione de vna ciuitate in aliam.

Damus insuper eisdem subditis nostris et eorum successoribus, quod quandocumque aliqui ciues aut oppidani nostrarum ciuitatum aut oppidorum siue nobilium de vna ciuitate siue oppido incolatum siue cum domestica mansione transferre et recedere voluerit, extunc venditis siue non venditis eorum domibus vel agris recedendi absque quauis difficultate, impedimento et arresto liberam habebunt facultatem. Si vero capitanei aut aliquis ex officialibus nostris seu aliquis nobilis ex subditis nostris aliquem ex ciuibus aut oppidanis recedere volentem impediret et arestaret, tres marcas vsuales penarum, medietatem pro nobis et nostris successoribus, et illi nobili, ad quem vadit, aliam medietatem huiusmodi pene trium marcarum soluere tenebitur. Eo excepto, quod si talis oppidanus, qui recedit, pro aliqua culpa aut debito ante fideiussoriam

fuerit per aliquem citatus, extunc talis citatus ibidem parere iuri et respondere tenebitur. Si vero post caucionem fideiussoriam fuerit citatus, extunc non ibi, sed apud illum, ad quem recedit, cuilibet de se querulanti respondere et parere tenebitur.

(§ 7). Ciuis aut oppidanus cmethonem percuciens siue vulnerans et e conuerso.

Concedimus eciam predictis nostris subditis et eorum successoribus, quod quociescumque euenerit, ut ciuis oppidanus aliquem cmethonem, aut e contra cmetho ciuem et oppidanum percusserit (aut) vulnerauerit, extunc tali modo percussus debet percussorem inculpare et coram iuratis scabinis vulnera recencia iuxta statuta nostra monstrare et illum percussorem coniurare. Quo facta tam ciuis, quam oppidanus et villanus penam percussionis et vulnera, quibus interest, soluent et pagabunt, et hoc tam in nostris oppidis, quam militum obseruare volumus.

(§ 8). Quando cmetho caucionatur.

Damus insuper subditis nostris et eorum successoribus, quod quociescumque et quantocumque aliquis cmetho incolatum suum transferre voluerit, extunc talis cmetho debet caucionari, et si aliquis ex subditis nostris casu temerario ad tres fideiussores talem cmethonem dimittere noluerit, extunc ille nobilis, ad quem cmetho vadit, cum dictis tribus fideiussoribus ad capitaneum vel procuratorem aut officialem siue ad iudicium venire debet et hoc ipsum negocium reponere; capitaneus vero vel procurator aut ipsius officialis siue iudicium preconem dare debent eidem nobili, qui precone recepto debet transire ad illum dominum, qui cmethonem ad caucionem dare noluit, ad

recipiendum ipsum cmethonem; preco vero eidem nobili debet mandare, ut dictum cmethonem caucionatum libere dimittere[t] cum omnibus bonis, alias si facere contempserit, ex- tunc tali nobilis ius terrestre, census, subsidia et alia, que iuri terrestri deserviunt, perdet et amittet, et cum hoc triplicem penam quinquagenalem a dictis tribus fideiussoribus et triplicem pyathnadzescza et tres marcas vsuales a precone prolabetur, quarum medietatem pro capitaneo nostro, et medietatem pro nobili, ad quem cmetho vadit, et nichilominus illum cmethonem mittere debet.

(§ 9). Requisicio alias pytanie in iudicio solui non debet.

Item pytanie a iudicibus et subiudicibus amodo quocumque in iudicio per nobiles et eorum cmethones solui non debet nec ab eisdem exigi.

(§ 10). Cmethones pro pena quinquagenali tantum quadraginta grossos soluent.

Item cmethones quando citati fuerint ad ius terrestre et contigeret ipsos penam quinquagenalem prolabi, extunc pro tali pena quinquagenali non plus, nisi quadraginta grossos illis, quibus interest, soluere tenebuntur.

Teka Naruszewicza 11 IV. 13.

1412. [1412, 12.V, Warszawa.]

In nomine Domini amen. Gloriosus Deus in sanctis suis celestia pariter et terrena disponens, etsi cunctos suos magnificat ministros et altis decorat honoribus, tamen ut digni digna impendat, pocioribus attollit insignijs dignitatum et uberiori retribucione prosequitur, quos digniores agnoscit et commedat vigencior exigencia meritorum. Proinde nos Boleslaus dei gracia dux Mazovie etc. significamus tenore presencium, tam presentibus, quam futuris, harum noticiam habituris, quibus expedit, universis, quod consideratis grate fidelitatis servicijs ac studiosis probitatum meritis, que omnes et singuli magnifici, strenui, generosi et nobiles terrigene totaque milicia Warschawiensis et Zacrocimensis terrarum ac eis annexorum districtuum, videlicet Blonensis, Tharcinensis, Nurensis, Ostroviensis, Camenecensis, in Warschauia ac Nowe myasto Serocensisque in Zacrocim terris sitarum, erga nos, rempublicam et nostra negocia hilari vultu sedulique hactenus gerere consueverunt et quo in posterum aucta eorum fidelitatis constancia nobis, ducatui nostro et successoribus nostris graciora serviciorum et complacenciarum genera poterint una cum eorum posteritatibus eo fervencius exhibere, horum intuitu effectuum charitatis, quam ad ipsos fideles in visceribus nostris gerimus, volentes ex innata nobis benignitate demonstrare et ipsos ducalis gracie favore confovere ut munificencia nostre liberalitatis prosequutos, favoribusque et gracijs tempore nostri felicis regiminis communitos se esse agnoscant, et proinde ad nos successoresque nostros prestanciori inardescant constancia et fidelitate, unde ex quo principum decet excellenciam innate

pietatis affectu non solum utilitati subditorum intendere, iuraque eorum, per que in suis statibus tenerentur, intemerate conseruare, quinimo ipsos specialibus prerogatiuis, presertim honorem, statum, commodum et nobilitatem eorum, [F prouenientibus, F] per que in suis statibus tenerentur, consolari, peticionibus iustis et racioni consonis prenominatorum nostrorum subditorum omnium et singulorum, cuiuscumque status, condicionis et eminencie existencium in terris Warsouiensi et Zacrocimiensi, quibus ope Dei preferimus, nobis humiliter oblatis, benigniter acclinati, omnes et singulos communiter et diuisim, uniuersaliter uniuersos et singulariter singulos barones, milites, nobiles, terrigenas, totamque communitatem speciali gracia visitamus, iuribus que infrascriptis illustramus, communimus et repremiamus perpetue et in euum.

(§ 1). <u>De iurium conseruacione et bonorum non recepcione.</u>

Itaque imprimis iura, priuilegia, statuta laudabilia, consuetudines, lauda omnia et singula per nostros predecessores, duces Mazouie felicis recordacionis omnibus dominis, baronibus, militibus, nobilibus, terrigenis ac hominibus status et sexus utriusque Warschauiensis et Zacrocimiensis terrarum ac districtuum eis annexorum concessa, instituta, tenta et obseruata, in vigore volumus et per presentes pollicemur conseruare et integre custodire in omnibus punctis, articulis, clausulis et condicionibus generaliter uniuersis nec umquam alicui bona ipsorum iuris ordine non seruato, recipere nec bene possessionatos subditos nostros in aliqua culpa repertos, ut dicitur, iure non conuictos, detinere, mancipare et deprehendere debebimus neque nostri successores debebunt in perpetuum, quemadmodum et hec premissa per predecessores nostros duces Mazouie et nos usque modo fuerunt conseruata et custodita.

./. (§ 2). De lectūris litterarūm.

Item de innata nobis liberalitate statuimus et donamus dictis dominis baronibus, militibus, terrigenis, nobilibus ceterisque hominibus cuiuscumque status et condicionis dictarum terrarum, vt quociescumque aliqui aut aliquis ex dictis nostris subditis privilegia seu privilegium sub maiestatis, litteras quaslibet sub mediocri ac iudiciales sub iudicum sigillis appensis in iudicijs nostris ducalibus et communibus terrestribus vigore citacionis aut ex decreto iuris tantum produxerint seu produxerit, extunc a lectura privilegij sex, mediocris vero tres et iudicialis litterarum vnum grossum in medijs grossis cancellarius et notarij nostri terrestres et nostrorum successorum tollant et exigant; a lecturis vero privilegiorum et litterarum quarumlibet absque citatione et iure coram nobis ac vbicumque productorum nichil exigant et tollant.

(§ 3). De citacionibus et salario earumdem.

